Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8308
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Conuersus autem ad illas
dixit ihs. Filie ierusalem
nolite flere super me. sed
super uos ipsas flete. et
super filios uestros. quoniam
ecce uenient dies
in quibus dicent. Beate
sterriles. et uentres que
non genuerunt. et ubera
que non lactauerunt
Tunc incipient dicere
montibus cadite super
nos. et collibus operite nos.
quia si in uiridi ligno
hec faciunt. in arido
quid fiet. Ducebant autem
et alii duo nequam
cum eo ut interficerentur
Et postquam uenerunt
in locum qui caluarie
uocatur. ibi crucifixerunt eum et latrones. unum
a dextris et alium a sinistris. Ihs autem dicebat
Pater dimitte illis.
non enim sciunt quid
faciunt. Diuidentes
uero uestimenta eius
miserunt sortes. Stabat populus expectans. Et
deridebant illum principes
cum eis dicentes. Alios
saluos fecit. se ipsum sal-
uum faciat. si hic est xpc
dei electus. Illudebant
ei milites accedentes
et acetum offerentes ei.
et dicentes. Si tu es rex